



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

B. Ludolphus Abbas Corbeiensis Ordinis S. Benedicti

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

sterum adhuc impono. Alio tempore inciderebat ista quaestio, quid Ordinum Religiosorum superioribus erga suos subditos praecipue observandum atque attendendum sit? Necessarium est, reponere Jordanus, ut agant hoc, quod fabri murarii aut eorum praesides. Hi enim, dum muros ducunt, frequenter amissam regulamque suam labori applicant, ut ita dispicere possint, an aliquid vel justo uberius promineat, vel nimis profunde caeterarum partium aequalitate retrocedat. Et tunc quidem cogunt retro, quidquid egressum est ultra mensuram: quod autem justo profundius sedet, antrorsum protrahunt. Ita pariter agendum bono superiori. Eos religiosos, quos ex modestia aut humilitate libenter latere conspicit, oportet promoveri. Eos vero, qui se ipsos conantur exserere, & in luce publica collocari gestiunt, introrsum ad obscuriora debet compellere, tanquam indignos iis officiis, ad quae vel jam promoti sunt, vel per media non satis commendanda adhuc aspirant.

B. LUDOLPHUS

Abbas Corbeiensis in Westphalia.

Refertur cum titulo Beati à Gabriele Bucelino in Menolog. Benedictin. ad diem 21 Februar. Et cum titulo Sancti in quodam Calendario Ordinis

S. Bene

S. Benedicti, citato apud Papebroch. in actis Ss. ad diem istam Iunii inter pratermissos. Ejus statua in choro templi Corbeiensis inter alias Divorum imagines exhibetur cum hac inscriptione: S. LUDOLPHUS ABBAS CORBEIENSIS: reliquiae autem unà cum ossibus B. Druthmari etiam Abbatis ibidem religiosè asservantur in sacello vel crypta templo conjuncta. Quod ad patriam & nationem hujus utriusque attinet, planum est B. Druthmarum aliunde, videlicet è cœnobio Laurisheimensi assumptum, & illuc transportatum esse: sic enim de eo testatur Dithmarus l. 7. ad annum Christi 1015, & Chronicon Ms. Saxonie Ioannis Mabillonii ad eundem annum: Wal Corbeiensis (Abbas) priùs ab cura suspensus deponitur; & unus è Laurisheimensi Monasterio Druthmer sine fratrum consensu Abbas assignatur. Vnde etiam Vitam ejus omittimus in hoc libro, rejicimusq; in aliam partem, in qua vitas & elogia eorum Sanctorum dabimus, qui, tametsi natione Westphali non fuerint, in ea tamen sanctè vixerunt, & commorati sunt. De Ludolpho tamen nihil simile hætenus invenire licuit; ideòq; eum inter Sanctos natione Westphalos tantisper connumeramus, donec contrarium efficaciori probatione compertum fuerit. Pro nobis facit, quòd è gremio Capituli Corbeiensis electus, adeòq; à primordio

mordio iuventutis in eodem educatus sit. *Qui enim primis temporibus ad hocce Monasterium admissi sunt, eos potissimum Westphalica nationis ac nobilitatis filios fuisse, testatur historia translationis S. Viti apud Papebroch. to. 2. Iunii pag. 1031 ubi c. 1. n. 9. ita legitur : Augebatur quotidie numerus Monachorum ex nobilissimo Saxonum genere : pueri quoque bonæ indolis nuntiebantur optimè &c. Floruit Saeculo Christi decimo, & variis post obitum miraculis claruit. Vita ejus collecta est ex iis, quæ de illo referunt Dithmarus Merseburg. l. 2. & 3. Gelen. in Hierotheca pretiosa pag. 88. & Schaten to. 1. Annal. Paderb. pag. 312 & 326.*

Magnâ sanctitatis & miraculorum gloria in cœnobio Corbeiensi fulsit B. Ludolphus Abbas. Mitram & pendentem ex ea honores adiit Saeculo Christi Decimo ; ad quos tamen priusquam viam sibi & iter paraderet, talia præmisit virtutum suarum ac religiosæ perfectionis merita, ut ab ipso potius hæc suscepta dignitas, quàm ipse à dignitate ornamentum caperet. Assiduum illi exercitium erat carnem jejuniis edomare, ne contra spiritum insolentior fieret ; somnum vigiliis frangere, ne in operibus divinis torporem pareret ; sensibus & appetitui suo ægré
facere,

facere , ut animus ad cœlestia prosequenda expeditior esset. Orationibus, Sacrificiis, rerum Spiritualium & Ecclesiasticarum ferventissimo usu eò familiaritatis processerat apud Deum, ut cognosceret arcana plurima, quæ cæteroquin ad ejus notitiam perlabi humana investigatione non potuerant. Piis è purgatorio Manibus certum in ejus oratione ac suffragiis asylum erat. Wilhelmus Moguntinæ Sedis Episcopus & Ottonis M. Imperatoris ex Editha filius eâdem, quâ è vivis decessit, horâ piarum precum subsidia ab eo flagitavit. Geronis Comitis ad Magdeburgum decollati caput [a] statim eodem mane inter divina sacrificia altari suo illatum vidit, eundemq; fratrum suorum precibus comendavit. Aliæ plures animæ è flammis piacularibus illi visendas se præbuere, ut ejus interventu doloribus suis medelam acciperent. Ante omnia tamen majori recordatione dignum est, quod de ipso ex Dithmaro Merseburgensi refert Gelenius in Hierotheca pretiosa. Anno 976 die 24ta Junii S. Gero Coloniensis Antistes, nescio quâ infirmitate corporis, adeò extra omnem usuram sensuum abreptus est, ut ab Evergero ejusdem Eccle-

siæ

[a] *Dithmar. l. 3. & Gelen. in Hieroth. pag. 88.*

siæ Canonico, cujus obsequiis tunc utebatur, inter mortuos reputatus fuerit. Includitur Sacrophago corpus exanimi simile, seritur in plebem mortis existimatæ rumor, celebratur exequiæ die postera, deportatur ad tumulum in æde Metropolitana præparatum. Tertiâ dein nocte quasi de gravi somno expergitur, sibiq; ut obstructos loculi & terræ meatus patefacerent, iterato clamore vociferatur. Id cum Evergero conscientiæ causâ indicaret is, qui audiverat; hominem nuncii, ut putabat, tam annilis bajulum cum stomacho rejecit, & verberibus malè mulctatum jussit porrò cum his fabellis nocturnisq; somniis ab se faceffere. Ita miser non expectato fustuario doctus, vocem tenere didicit; & interim S. Gero (quem adhuc vixisse [b] reserato postmodum sepulchro vestigiâ sanguinis ostendêre) vivus infra mortuos amandatus, mortem, quam nesciverat, invenit in sepulchro die vel 29na, vel ut alii, 28va Junii. Stupendum profectò ac lamentabile genus mortis! sed tamen infelix minimè. *Mala mors putanda non est*, inquit Hipponensis Præsul, *quam bona vita præcessit*. Statim namque ab excessu suo, B. Ludolpho se spectandum ob-

[b] Crantz. l. 3. Metrop. c. 45.

culit, eundemq; tribus quatuorve verbis allo-
 cutus, *requiem, inquit, aeternam nobis cantate*.
 Vixit ex eo tempore Beatus Abbas annis ad-
 huc septem, quibus evolutis morte felicissi-
 ma vitam clausit Corbeia 13 Augusti, anno
 [c] Christi 983, regiminis sui 26to. Ossa ejus,
 quia variis post obitum miraculis claruerunt,
 anno 1100 primùm elevata sunt à Marquar-
 do Abbate & Episcopo Osnabrugensi, repo-
 sitaq; in tumbis ligneis ac deauratis ante alta-
 re S. Crucis: postea verò anno 1662 à Chri-
 stophoro Bernardo Episcopo Monasteriensi
 & Administratore Corbeiensi, cùm Basilicã
 hoc loci novam erigeret, iterum translata
 sunt in sacellum cryptamve templo conjun-
 ctam, ubi in hodiernum diem adhuc religiosè
 asservantur, quanquam incuriã alicujus non-
 nihil confusa permixtaq;. Primæ translatio-
 nis cultusq; antiqui testes [d] exstant hi ver-
 siculi:

Istic translatos Patres gaudete Beatos

Istius Ecclesie, quam congruè rexit uterque

Tem-

[c] Ita Chron. Corbeiense Meibomii. Sed Bolland.
 ad diem 21 Febr. inter prætermittos ex Leznero refert
 mortuum anno 993. [d] Adolph. Overham in no-
 ticiis ad vitam B. Meinuvverci n. 43 in fine.

Tempore distincto dictis & cum benefacto.
 Druthmarus dextrâ (lector non negligat ista)
 Abbas praeclarus jacet hac in parte Ludolphus
 Et sic in Sanctis Deus aspice cor venerantis
 Patris Marquardi, simul artificis Godefridi;
 Quorum devota prece complaceant tibi vota.

B. LUTHARDUS

3tius Episcopus Paderbornensis.

Refertur cum titulo Beati in ordine ac serie Episcoporum Paderborn. inserta Synodis anno 1688 ab Herm. Wernero Episcopo celebratis. Item Nicolao Schaten to. 1. Annal. Paderb. & Gerardo Joanne à Benting. in Chronolog. generali pag. 113. Ossa ejus ob famam adhuc recentem Sanctitatis a Vnivano Episcopo 6to elevata esse, scribit ibidem Schaten pag. 194. Westphalū fuisse praeter Cleinsorgium, Bruschiū & alios testatur Kerffenbrochius in Catalogo Episcoporum Paderb. his verbis Luthardus Nobilibus Parentibus Diocesis Paderbornensis editus. Gelenius in pretio Hierotheca pag. 75. cum Kerffenbrochio, Bruschiū & aliis quibusdam eum connumerat inter Martyres Ebbekesdorpienses, ideòq; appellat Sanctum sed errorem hunc satis clarè refutat Schaten to. 1.

Annal.